Comiti de Brienne. per Vlack.

Illustrissimo Comiti de Brienne
C. Hugenius a Zulichem.

(487)

S.P.

Libellum Regi offerendum Collegæ Tuo Tellerio, hic homo traditurus est. Summa negotij turbulæ sunt ad Rhodanum nuper natæ, circa Principis mei vectigalia: Ea res cum feratur, non spectare tuam administrationem, semel Zulichemio licuit Briennæ suo non obstrepere. Si tamen te præsente negotium istud agitari sentias, fave, te quæso, et Justitiæ, et quod soles, mihi perquam immerenti. Vale. Lutetiæ VI. Id: Sept: CIƆIƆCLXII.

(488)

Eidem: Hocce te epistolio salutatum volui ante biduum. At tu S.t Germani non es inuentus, neque, ut suspicor Lutetiæ ab Hugenio inueniri amas. Proinde ne officio desim, quousque per te licet, chartulis te meis fatigo. et hac quidem meo et filiorum nomine gratias habeo, quas semper debituri sumus, pro insigni munere, quo nos ter beatos voluisti. In illo et effigiem tuam exosculor, quâ te sic referri judico, ut non ovum ovo melius. deinde et candorem laudo, quo nec censuram Batavi lectorem passus es nescire. Vale vir Eximie, et si quid rei incurrat quod interesse meâ ut sciam sentias, memor esto languentis amici. Lutet. III. Id: Sept: CIƆIƆCLXII.

Lomenio. Illustrissimo Lomenio
Zulichemius
S.P.
et felicissimum adventum.

(489)

Qui excidisse mihi meum Lomenium audet prologui, injurius est; neque alio me teste munio, quam infelicis filii afflictissimo parente. Parabam longius hunc sermonem provehere, nec sine stomacho, semper illud animo volutans quod, cum postremum te amplecterer, abeunti in mentem simul et buccam venit.

Exul es, et vivo, Lomeni, charissime rerum
Hic ubi non sine te vivere vita fuit
Te sine mors ipsa est!

Cum ecce, cujus nunc viciniam occupasti Altarivius me interrumpit, et ad Chebrosam meam quoque vicinam ducturit. Cogor itaque desinere, et hoc, verbo, polliceri, evolaturum me Lutetiâ propediem, ut te amplectar, et hoc ipso amplexu me ulciscar. Vale VI. Id. Jan CIƆIƆCLXIII.

Lomenio